



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis  
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.  
Theologiae Mysticæ Libri Tres**

**Henricus <Herpius>**

**Coloniae, 1611**

De subiecto charitatis, quod est voluntas, quam dirigit, erigit, & perficit:  
nec potst in e charitas diminui, sed potest augeri. Cap. XCII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37362**

sicut Deus ex amore purè puro tribuit omnia dignis & indignis, sic charitas liberaliter exequitur omnia diuina obsequia & madata. Tum etiam ratione conformis vnionis, quia sicut filij nequeuntur patri nexu amoris, & vniuntur, sic homo Deo per charitatē adhaerēdo spiritus vnus efficitur. Vnde dicit Augustinus, quod charitas est virtus, quae animi nostri restissima affectio est, quae coniungit nos amicitia Deo, qua ipsi diligimus Hoc etiā orat Christus, dicens: Oro Pater, *ut in nobis simi cō-*

Ioan. 17.

*summamur in vnū. sicut & nos vnū sumus.* Tū deniq; ratione finalis quietationis, quia cum amor sit pondus spirituale, facit in Deum tendere, & in Deum quiescere, sicut corporalia per sua pondera firmari habet & stabiliri in locis proprijs. Est etiam regina virtutum & imperatrix, quia quamuis charitas, sicut alia quaeque virtus, proprium habet actū quem elicit, scilicet diligere Deū & proximum, ita quod ab ea nullus alius actus elicitur: super cunctas tamen alias virtutes hanc habet eminentiam, quod earum actus à proprijs habitibus elicere facit, & eos informat meritorios reddens & Deo gratos.

*De subiecto charitatis, quod est voluntas, quam dirigit, erigit, & perficit: nec potest in ea charitas diminui, sed potest augeri. Cap. X.CII.*

**S**urge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius. Cantic. 4. Verba sunt haec vel Dei imperantis, vel hominis instanter deprecantis, vt ab horto fidelis animae procul Aquilone remoueatur aduersitatis, frigiditatis, & malignitatis. Siquidem ab Aquilone panditur omne malum, diabolica flante malitia. Et veni Auster spiritualis prosperitatis, & intimae charitatis: perfla hortum meum, id est, ipsam mentem, seu voluntatem, flatu Spiritus sancti, id est, charitate Dei & proximi: & fluant aromata illius, scilicet charitatis, in omnes virtutes & virtuosas operationes, vt reddantur Deo gratae, & hominibus odoriferae.

Ierem. 1.

Subiectum charitatis.

Vnde nunc ordine debito videndum est de charitatis subiecto, quod per hortum aptè significatur: vtpote quod semen charitatis efficit fructiferum & gratum Deo. Pro quo notandum, quod haec charitas, vt dicit Archidiaconus, nascitur in appetitu, scilicet cum quis appetit fieri voluntatem Dei super omnia. Nutritur autem in cogitatione, cum scilicet in hoc cogitat, & in hoc proficit. Roboratur autem in operatione, tandemq; perficitur, cum ab hoc se non auertit propter aliqua mala, quae

Ia, quæ sibi adueniunt. Sed quia propter defectus naturales & impedi-  
 menta corporalia hæc plene consequi non potest in hac vita, cupit *dis-*  
*solui, & esse cum Christo*, ubi perfectius hoc adipisci sperat, ut Dei vo-  
 luntas in omnibus fiat. Veruntamen duplex est appetitus, scilicet sen-  
 sitiuus & intellectiuus, qui dicitur voluntas: & vtriusque obiectum est  
 bonum, sed diuersimodè: quia obiectum appetitus sensitui est bonū  
 per sensum apprehensum; sed obiectum appetitus intellectiuus est bo-  
 num sub communi ratione boni, prout est apprehensibile ab intellectu.  
 Sed charitatis obiectum est bonum diuinum, quod solo intellectu co-  
 gnoscitur. Et ideo charitatis subiectum est appetitus intellectiuus, id  
 est, voluntas. Et quamuis liberum arbitrium non est alia potentia à  
 voluntate, tamen charitas non est in voluntate secundum rationem  
 liberi arbitrii, cuius actus est eligere, quia electio est eorum, quæ sunt ad  
 finem: voluntas autem est ipsius finis, ut dicitur 3. Ethicorum. Hinc cha-  
 ritas, cuius obiectum est vltimus finis, magis dici debet esse in volun-  
 tate quàm in libero arbitrio. Et congruè satis, quia sicut charitas impe-  
 rat omnibus virtutibus, sic voluntas omnibus potentijs. Ceterum,  
 quamuis amor Dei, qui fundatur super communicatiōe bonorum na-  
 turalium, in nobis causetur naturaliter, quia secundum Dionysium, o-  
 mnibus diligibile & amabile est bonū diuinū, quod est obiectū chari-  
 tatis, vel etiā acquiritur ex bonis actibus præcedentibus: tamen amor  
 Dei, qui charitas dicitur, & fundatur super communicatione bono-  
 rum supernaturalium, non inest nobis naturaliter, nec acquiritur per  
 potentias naturales, quia naturæ facultatem excedit & naturalis ef-  
 fectus suā causam non excedit: licet actus virtuosus præcedentes homi-  
 nem disponant ad recipiendum charitatis infusionem, tamen acqui-  
 ritur per gratuitam Spiritus sancti infusionem, qui est amor Patris &  
 Filij, cuius participatio in nobis est ipsa charitas creata, quæ se habet  
 in voluntate ut in subiecto. Quamuis enim actus charitatis, qui est di-  
 ligere, est actus intellectus ut dirigentis, tamen est actus voluntatis, ut  
 eligentis, imperantis, & exequentis. Sicut enim vis rationalis aliquo habi-  
 tu, scilicet fide perficitur: & vis irascibilis alio habitu, scilicet spe, perfici-  
 tur: sic etiā vis concupiscibilis habitu charitatis perficitur, nõ tamè illa  
 vis concupiscibilis, cuius bonū est obiectum apprehensum per sensum,  
 sed solum bonum diuinum, quod solo intellectu cognoscitur, ut di-  
 ctum est: & ideo solum habet esse in appetitu intellectiuo, scilicet in  
 voluntate. In qua tria principaliter facit. Primò, voluntatem dirigit:

Ecc 2 quia

Philippi.  
Appetitus  
duplex.

407.  
 Charitatem  
 in voluntate  
 coacta

quia charitas est amor rectus & ordinatus; qui voluntatem & omnes eius affectiones facit rectas & ordinatas. Secundò, voluntatem erigit: quia pondus charitatis sursum agit, deorsum se & omnia contemnit propter Deum. Vnde ait sanctus Augustinus: Ponderibus suis aguntur omnia, & loca sua petunt; leuia sursum, & graua deorsum. Amor meus, pondus meum, eò feror quocunque feror. Vnde sicut amor inordinatus mentem deflectit ad infima, sic amor charitatis erigit ad celestia. Tertio, voluntatem perficit, eam summo bono perfecte coniungens, & faciens vnum velle & vnum nolle. Sicut enim ex dilectione non conuenientis voluntas laxatur & deterioratur, iuxta illud Osee: *Facti sunt abominabiles, sicut ea quae dilexerunt*: sic e contra ex dilectione conuenientis voluntas perficitur & melioratur, quia talis est dilectio Dei, quae regulat etiam secundum Deum omnes operationes, intentiones, affectiones, passionis, & similia; vt sic fiat *Deus omnia in omnibus*. Et hec quidem diuinitus infusa charitas in nobis diminui non potest, neque per actum peccati mortalis, quia mortale charitatem totaliter corrumpit effectiue, quia charitati contrariatur, quam etiam meritorie, quia taliter peccans dignus est quod illi Deus totaliter subtrahat charitatem: nec etiam per actum peccati venialis, nec quidem effectiue, quia ad charitatem non attingit, sed tantum ad feruorem charitatis: nec etiam meritorie, quia Deus non plus vel prius se auertit ab homine, quam homo à Deo. Similiter etiam diminui non potest per cessationem ab actu virtutis, directe loquendo; sicut virtutes ex actibus acquiruntur. Cuius ratio est, quia conseruatio vniuscuiusque rei dependet ex sua causa. Sed causa virtutis acquiruntur actus humani, quibus cessantibus etiam acquirita virtus diminuitur, sed hoc in charitate locum non habet, quia solum infunditur à Deo. Et sic actu charitatis cessante, non diminuitur charitas directe, nec corrumpitur si desit culpa mortalis: quamuis indirecte loquendo, charitatis diminutio dici potest ipsa dispositio ad corruptionem ipsius, quae fit per venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum charitatis. Sed per mortale totaliter corrumpi potest, quia subiectum charitatis est ad bonum & ad malum vertibile, secundum arbitrij libertatem. Sed ipsa charitas in nobis augeri potest, non quidem per hoc, quod charitati charitas additur, sicut quidam volunt; sed per hoc, quod charitas intenditur in subiecto, sic quod subiectum magis ac magis charitatem illam participat, secundum quod magis reducitur in actum illius, & illi magis subditur, sicut ferrum in igne.

Charitatem  
 augeri pos-  
 se.

igne positum magis ac magis igitur. Non tamen est intelligendum, quod in quolibet actu charitatis ipsa charitas augetur, sed quilibet actus charitatis disponit ad augmentum charitatis, in quantum ex vno actu charitatis pronior redditur ad agendum secundum charitatem: & sic habilitate crescente, prorumpit in actum feruentiorem dilectionis, quo conetur ad charitatis perfectionem; & tunc charitas augetur in actu, cui augmento charitatis nullus terminus poni potest in statu viae: tum quia charitas secundum rationem propriae speciei terminum augmenti non habet, eo quod est participatio quaedam infinita charitatis, quae est Spiritus sancti: tum etiam, quia causa agens charitatem est infinita virtutis, scilicet Deus: tum denique, quia crescente charitate, semper in subiecto supercrefcit habilitas ad ulterius augmentandum charitatem: quia capacitas creaturae rationalis per charitatem augetur, & per ipsam cor dilatatur, secundum illud: *Dilatamini in charitate.* & iterum: *Cor meum dilatatum est.* Et ideo semper remanet habilitas ad maius augmentum. Vnde ait S. Bernardus: Necesse est animam crescere & dilatari, ut sit capax Dei: Porro latitudo eius, dilectio eius, sicut ait Apostolus: *Dilatamini in charitate.* Nam si anima minimè, cum sit spiritus, corpoream recipit quantitatem, tamen illi confert gratia, quod negatum est à natura. Crescit quidem & extenditur, sed spiritualiter crescit, non in substantia, sed in virtute. Crescit & in gloria. *Crescit etiam in templum sanctum in Domino.* Ergo quantitas animae aestimatur de mensura charitatis, quam habet: O quanta est illi animae beatitudinis beatitudo, quae diuinam in se praesentiam, & digna inuenitur suscipere, & sufficiens capere: imò cui sufficiunt deambulatoria spatiosa, secundum illud: *Inhabitabo in illis, & deambulabo.* Deambulat enim in nobis praesentia maiestatis, si latitudinem inuenit charitas.

2. Cor. 6.

Ibidem.

Ephes. 2.

2. Cor. 6.

Leuit. 26.

*De quinque donis charitatis, quibus anima consecratur, & dignissima Dei sponsa efficitur. Cap. XCIII.*

**S***urge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata* *Sillus.* Dicit Augustinus de verbis Domini: Magna est misericordia Dei nostri, dedit enim dona hominibus. Quae dona? Spiritu sanctum. Donum quippe dat aequale sibi, quia donum eius Spiritus sanctus est, & vnus Deus tota Trinitas. Quid praestitit nobis Spiritus sanctus? Audi Apostolum: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritu sanctum, qui datus est nobis.* Ut ergo ames Deum, habitat in te Deus, ut

Psal. 67.

Rom. 5.